



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XL. De Renuntiatione futuræ hæreditatis paternæ juratò in gratiam
Patris facto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

culare, videtur certum, ni dicere etiam malis, pro præsentatione ad Beneficia accipere, ex pacto pecunias esse licitum, eò quòd passim his temporibus damnata, & detestabilis ista praxis increbuerit.



CASUS XL.

De Renuntiatione futura hereditatis Paternæ juratò in gratiam Patris facta.

Propertia cum maximam reverentiam erga suum Dominum Parentem semper gereret; & intelligeret, eidem gratum esse, quòd dote sua contenta futura hereditati Paternæ in favorem suum, id est Patris, renuntiet; dilectissimi Parentis desiderijs obsequens renuntiationem juratam (nullius tamen Ordinis Religiosi incundi intuitu) deponit.

Q. 1. An talis Renuntiatio Juramento adjecto confirmetur?

Q. 2. An & qualiter ab hac obligatione liberari renuntians filia possit?

SYNOPSIS.

1. Varij modi, quibus fieri possit renuntiatio hereditatis paternæ, asseruntur.
2. Jure futurae cujusdam hereditatis possimus cedere.
3. Jus Civile annullat renuntiationem paternæ hereditatis futurae in filia dote contentæ.

S. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

Num talis Renuntiatio Juramento adjecto confirmetur?

4. Omnis sine juramento facta ejusmodi renuntiatio vi Juris Civilis non valet.
5. Renuntiatio in gratiam Fratrum sine consensu patris facta, non confirmatur adjecto juramento.
6. Ac 7. proponuntur rationes in contrarium.
8. Quid sit contractum firmari juramento.
9. Si parentis consensus tali renuntiationi accesserit, aliud tenendum.
10. Renuntiatio talis in gratiam parentis, nulloque intuitu religionis facta, Juramento probabilis confirmatur.
11. Quod de renuntiatione à filia facta tenendum, etiam de filij sentiendum est.
12. Cap. quamvis pactum 2. in 6. loquitur de obligatione justitiæ.
13. In hoc capit. non supponit Pontifex etiam juramento metu aut vi extorto firmari pactum posse.
14. Opinioni nostræ non obest lex non dubium 5. §. 1. Cod. de L. L.
15. Neque lex 112. §. 4. ff. legatis.
16. Uti nec lex 56. princip. ff. de fidejussoribus & mandatoribus.
17. Aut lex 7. §. 16. ff. de pactis.
18. Sententiæ nostræ contra has leges defensio non fundatur in Authentica Sacramenta puberum.
19. In nostra sententiâ Imperator valorem non tribuit Juramento, sed renuntiationi.
20. In certis casibus Pontifex habet potestatem ad statuta à Jure Civili immutanda.
21. Cap. quamvis pactum, inducit obligationem justitiæ.
22. Cum aliàs tale Juramentum, nec ex Religione obligaret.
23. Juramentum solvendi usuras versatur circa materiam charitatis propria.
24. Promissio non contraveniendi contractui annullato est & ipsa nulla.
25. Ne leges annullantes pactum sint efficaces.
26. Juramentum cadens supra talem promissionem, caderet & ipsum supra rem inanem.
27. Promissio non contraveniendi renuntiationi vana, & ipsa est vana.
28. Quare cap. 6. de Jurejurando in promissis usuris solam obligationem Religionis inducat.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An & qualiter ab hac obligatione renuntians filia possit?

29. Quædam in resolutione hujus quæstiti advertenda.
30. Juramentum ab adhuc impubere filio editum à Patre irritari potest.
31. Non autem puberis, licet adhuc minorennis.
32. Juratam hanc promissionem Patrens ut Creditor potest remittere.
33. Cum hæc remissio non sit actus Jurisdictionis spiritualis.
34. Quid sit, & in quo relaxatio differat à dispensatione Juramenti.
35. Juramentum in gratiam hominis principaliter factum, per se ab hoc solo relaxatur.
36. Per accidens ob bonum commune ab hujus curam habente.
37. Aut ob certum delictum promissarii.
38. Juramentum non confirmans renuntiationem ab Episcopo jurantis ex justa causa relaxari potest.
39. Juxta nonnullos Auctores, etiam ab habente potestatem delegatam dispensandi in votis.
40. Si ponatur renuntiatio Juramento confirmata, sine justa causa ab alio relaxari, aut commutari non poterit.
41. Qualis merito habetur enormissima lesio.
42. Satisfit objectionibus,

Liberi possunt renuntiare hereditati paternæ futuræ vel intuitu, & paulò ante ingressum Religiosi ordinis vel absque hujus intuitu: Dein vel in gratiam cæterorum fratrum: & quidem cum aut sine consensu parentis. Item intuitu Religionis facta renuntiatio, vel est absoluta, vel sub conditione, dilata scilicet usque ad professionem aut absolutionem Novitiatus, ita ut his positis ab-

solutum suum valorem sit primum habitura,

Quòd jure futuræ cujusdam hereditatis abdicare nos possimus, colligitur ex lege 1. Cod. de pactis. vi cujus quilibet futuro suo juri cedere potest. Insuper vi legis ultimæ Cod. de pactis. ex communi omnium consensu potest quis futuræ successionis jure cedere, dummodo accesserit voluntas illius,

lius, de cuius successione & hereditate tractatur.

3 Controversia itaque sola manet de renuntiatione liberorum respectu hereditatis paternae futurae: talem enim renuntiationem à filia, dum nuptui traditur, Patri factam, Jus Civile, prout testatur *cap. quamvis pactum 2. in 6.* reprobavit, si vi illius filia suam dote contenta nullum amplius regressum ad bona paterna haberet,

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An renuntiatione hereditatis Paternae futurae, nullo intuitu Religiosi ingressus facta, Juramento adjecto confirmetur?

4 CUM in lege *pactum 3. Cod. de collationibus: & lege pactum quod dot. li: Cod. de pactis: lege qui superstitis ff. de acquirenda hereditate lege ultima ff. de suis & legitim. heredibus: lege si quando §. illud. Cod. de inofficioso testamento* clarè annulletur talis futurae paternae hereditatis renuntiatione, ideo, quòd hæc absque superaddito Juramento non subsistat, nullus dubitat. sola itaque movetur quæstio de valore talis renuntiationis, si Juramentum eidem non contraveniendi adjectum fuerit.

Quòd renuntiatione hereditatis paternae, futurae, quæ non intuitu

ex quo inferunt, quòd hæc de filia statutum fuit, etiam ad filium ob omnimodam paritatem extendendum esse.

Quia autem talis renuntiatione vel cum certis vel sine omnibus solennitatibus potuit fuisse facta: Juramento confirmata vel non: ideo pluribus conclusionibus ad perfectam hujus dubij decisionem opus erit.

tu Religionem ingrediendi in gratiam fratrum sine consensu patris erit facta, non confirmetur Juramento, defendunt Azor parte 2 *Instit. moralium cap. 28. q. 2. Tamburin in decalog. c. 5. §. 3. n. 5.* cum alijs & probant his rationibus in *cap. quamvis pactum cit.* solum confirmatur pactum gratia Patris initum: ergo non idem videtur dicendum de pacto tali cum fratribus inito.

Probant, 2. Pacisci cum fratribus de futura hereditate Patris sine hujus consensu continet turpitudinem: ergo non potest confirmari Juramento, ant, prob, tur-

Ffff

pe est, sine consensu Patris de huius futura hereditate agere: ergo.

Probatur 3. Pactum de hereditate viventis est omnino reprobatum tanquam præbens occasionem captandi mortem alterius lege ultima Cod. de pactis.

6 Sed responderi potest ad primam rationem: concedendo, quod in cap. citato *quavis pactum*: de sola renuntiatione in gratiam Patris facta, sermo habeatur: negatur tamen consequentia; eò quod ratio, ob quam illa renuntiatione agnoscitur esse valida, etiam in renuntiatione in gratiam fratrum facta procedat: ideo enim priorem renuntiationem, Juramento firmatam valere dicit Pontifex, quia ejusmodi Juramenti observatio *non vergat in eterne salutis dispendium nec redundet in alterius detrimentum* sed hoc totum verificatur de renuntiatione in gratiam fratrum sine consensu parentis instituta.

7 Neque obest, quod contractus, supra quem cadit Juramentum, appareat esse turpis; aliud enim est contractum ipsum esse turpem, & aliud executionem, & observationem Juramenti promissorij esse turpem: atqui hæc executio non est turpis: non enim est turpe, quod filius nihil suo tempore ex hereditate paterna futura accipiat, sed relinquat illam suis fratribus

Hæc difficultas ut solvatur, sciendum, aliud esse, quod Juramentum sit validum, & aliud, quod confirmet contractum: prius enim datur, quodocunque Juramentum ob honorem Divini Numinis est servandum, licet per illud alteri, in cuius favorem factum fuit, nullum Jus acquiratur. Ex opposito contractus jurjurando firmari dicitur, quando sine Juramento celebratus est nullus, per hoc tamen fit validus, conferens alteri jus, ut jurato contrahens non tantum ex Religione sed ex justitia quoque obligetur. His suppositis responsiones ad argumenta Azorij allata videntur ad summum probare, atque evincere, ex tali Juramento exortam fuisse obligationem Religionis, minimè autem evincunt, quod fratribus ex illo aliquid Jus, vi cuius renuntiantem ex justitia obligare valeant, ut nihil ex futura hereditate paterna suo tempore accipiat, accesserit; quod ita probatur: si talis renuntiatione in gratiam fratrum sine consensu Parentis celebrata, est contractus turpis, tunc est prohibitus, & annullatus à Jure: sed si est talis, non confirmatur Juramento: prob. min. ut turpis, vitiosus, & à Jure prohibitus, atque annullatus contractus Juramento confirmetur, ex dispositione Jurium talis turpitudine, atque vitium debent Juramento purgari: atqui in hoc contractu non pur-

purgantur. Maj, constat, est enim iniquum omne Juramentum de non retractando contractu nullo & prohibito: ergo necessarium est, ut ex dispositione Jurium ejusmodi annullati contractus vitium à Juramento purgetur. at qui non purgatur; cum *lex quamvis pactum 2. de pactis in 6.* loquatur de sola jurata renuntiatione hereditatis paternæ in gratiam Parentis facta, quæ vel nullam turpitudinem continet, vel si contineat, ex dispositione hujus legis illa turpitudine purgatur. Neque purgatur per ipsum solum Juramentum, si nulla specialis dispositio Jurium purgans illam turpitudinem habeatur, cum *lex non dubium: Cod. de legibus* Juramentum, ad firmandos contractus Jure nullos appositum annullat, & consequenter istud nullam vim præcisè ex se contineat ad confirmandos contractus Jure nullos. Ita præter superius citatos sentiunt Covarruvias *de pactis 3. part. initio n. 5.* Fachinæus *lib. 8. controvers. cap. 70.* Guttierrez *in cap. quamvis pactum n. 2.*

Ex quibus deducimus, optimè sentire Azorium, ac Tamburinum, dum renuntiationem istam in gratiam fratrum sine consensu Parentis celebratam, Juramento non confirmari ob rationes insinuatâs affirmant: ex eo enim, quòd Juramentum hoc observari sine dispendio æternæ salutis, & detrimento alterius possit, dun-

taxat inferitur, quòd pariat obligationem Religionis, quæ est diversa ab obligatione Justitiæ.

Neque dicas, *legem ultimam ff. de suis, & legitimis heredibus* tantummodo improbare pactum succedendi in hereditate. ergo non improbat pactum renuntiandi successioni: negatur enim consequentia: qui enim in favorem fratrum hereditati renuntiat, eo ipso istis concedit hereditatem, seu successione: ergo contrahitur de hereditate viventis, quod absque hujus consensu est reprobatum.

Quia autem hæc turpitudine in memorata renuntiatione tollitur accedente consensu ipsius Patris, adjectum eidem Juramentum ejusmodi renuntiationis contractum confirmabit saltem in supposito, quòd aliquis contractus Jure positivo nullus Juramento confirmari possit, & ejusmodi contractus nullo Juramento accedente nullus sit, ita prædicti Authores.

Verùm cum præsens casus de renuntiatione in gratiam Parentis, vel fratrum quidem, ex consensu tamen ipsius Patris agat, quid de hac opinandum, videbimus.

Dico 1. Si renuntiatio talis non fuit facta intuitu ingrediendi Religionem, sed absolute in gratiam Parentis, atque illi Juramentum adjectum; erit illa renuntiatio rata & firma. Ita cum communione Anch. Imol. Alexand. Cuman. Jason. Fulgos. Azor. Tamburinum, & alij, quos Covarruv. in

cap. *quamvis*: de pactis in 6. adducit n. 5. Nobiscum etiam sentiunt Panormit. Sanchez, Saa: de Lugo de *Iustitia disp.* 22. n. 206. & qui cum istis docent universim contractus Jure humano irritos propriè confirmari Juramento. Item qui cum Lessio *lib. 2. cap. 17. n. 56.* tenent, Juramento solos contractus Jure Civili, non tamen Canonico irritatos confirmari, & habetur in hoc citato cap. *quamvis pactum*: ibi: *si tamen juramento, non vi, nec dolo præstito, firmatum fuerit ab eadem* (scilicet filia, de qua ibidem queritur) *omnino servari debet: cum non vergat in æterna salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.*

Confirm. de facto in Germania apud nobiles familias consuetudo obtinuit, ut filia congruenti dote instructa renuntiet hæreditati paternæ, quæ renuntiatio, saltem Juramento firmata valet: prout testantur Befoldus Canisius in *tit. de successoribus ab intestato num. 14.* Manzius *lib. 3. de Instit. Wex in sua Ariadne.*

¶ Possit autem obijci allatis modo rationibus: primò, quòd in cap. citato *quamvis pactum*: unicè sit sermo de renuntiatione hæreditatis paternæ futuræ facta à filia, quæ sufficienter dotata fuerat: ergo renuntiatio omnimodæ hæreditatis, & bonorum paternorum omnium etiam jurata, non erit vi citati capituli *quamvis pactum*:

confirmata tali Juramento. dein de filia cum in Matrimonium alicui traditur, egreditur familiam paternam: filius autem istam conservat: ergo.

Secundò potest dici, in citato capitulo *quamvis pactum*, tantum asseri, quòd jurata renuntiatio obliget vi Religionis, non autem vi Justitiæ.

Sed contra primam objectionem facit: acceptionem dotis habere se per accidens, nec ullam diversitatem formalem inducere: non enim ideo Juramento confirmatur talis renuntiatio hæreditatis in filia dotata, quia jam dotem, & consequenter partem aliquam de bonis paternis acceperat: ergo licet adhuc filius nihil acceperit ex bonis paternis, ex his malè inferitur, quòd facta à filia in favorem Patris renuntiatio ob defectum hujus dotis Juramento non confirmetur, quia potuit renuntiassè ex quadam causa justa atque legitima, v. g. dotis, donationis propter nuptias. Ita sentiunt Covarruvias in cap. *quamvis pactum*: de pactis in 6. Azor parte 2. *Instit. moralium lib. 2. cap. 28. quest. 5.* Deinde modò concedatur, quòd aliquibus bonis paternis acceptis, filius renuntiare ceteræ futuræ hæreditati paternæ possit, habetur intentum.

Neque facit aliquid, quòd in cit. cap. *quamvis pactum* solius filia, non autem liberorum, aut filiorum fiat mentio: nam filia, &

& filius, seu soror, & frater sunt correlativa, & ambo habent idem jus ad paternam hereditatem. Dein ratio, ob quam in *lege pactum 3. Cod. de collationibus* talis renuntiatio simplex annullatur, est inhonestas, quæ reperitur in tali renuntiatione paternæ hereditatis futuræ: atqui hæc etiam datur ex parte renuntiationis filij: ergo.

12. Ad secundam objectionem reponitur: verba legum & capitulorum esse in propria significatione, quando possunt accipienda: atqui verba *cit. cap. quamvis pactum*: dicunt talem renuntiationem *Juramento firmam* esse, & à filia omnino servari debere: sed terminus *firmare* significat, conferre actui valorem Justitiæ, ut patet ex *Regula Juris Canon. 18. in 6 non firmatur tractu temporis, quod ab initio non subsistit*: accedit, quod dicat capitulum: *pactum servandum esse*: non autem hoc, si ex Justitia non obligaret, esset servandum: sed potius ipsum Juramentum, pacto ex se nulli adjectum. Nec dicas, quod pactum *materialiter* tantum, non autem *formaliter* sit servandum: seu non ratione valoris, qui pacto tali inesset, sed ratione Juramenti, Contra enim est: quod hæc explicatio sit tota impropria, & sine fundamento excogitata, quæ omnia confirmantur ex eo, quod *in cap. 6. de Jurejurando*, ubi Juramentum contractui usurario adjectum solius Religionis obligationem in-

ducit, Pontifex asserat, *Juramentum esse reddendum*: ergo si in *cap. quamvis pactum 2. cit.* asserit, pactum esse servandum, non erit ad mentem adversariorum explicatio facienda.

Urgebis in *cit. cap. quamvis pactum*, Pontifex supponit, pactum firmari posse Juramento, non solum spontè, sed etiam interveniente dolo, aut vi præstato: sed etiam nobis est certum, ex Juramento per vim, aut dolum extorto non firmari, seu reviviscere illius obligationem ex Justitia: ergo &c. R. N. M. Pontifex enim dicit quidem, quod ejusmodi pacto Juramentum vi, & dolo extortum possit adijci, non autem asserit, quod pactum Juramento taliter extorto firmetur, sed contrarium affirmat: formalia illius sunt: *si tamen Juramento non vi, nec dolo præstato firmatum fuerit, ab eadem omnino servari debet*. Subintellige *pactum* super renuntiatione hereditatis futuræ initum: ergo dicit tunc servandum esse, quando Juramento, quod vi & dolo non fuerat extortum, firmatum fuerit. Ex eo enim, quod dicat, servandum esse, si firmatum fuerit Juramento non vi, aut dolo extorto; non sequitur, quod judicaverit, tale pactum etiam Juramento vi aut dolo extorto confirmatum iri. Patet res clarius: si dixisset; *contractus est servandus, si Juramento, quod nec vi nec dolo extor-*

tum est, obligatio aliqua Justitiæ fuerit introduc[t]a: ex hoc malè inferretur: ergo Pontifex judicat, obligationem Justitiæ introduci posse Juramento, quod per vim aut dolum fuerat extortum. Item si dicam: gratia sanctificans infalibiliter confertur peccatori gravi, si iste in confessione, dolore supernaturali informata, à Sacerdote fuerit Sacramentaliter absolutus: ex hoc malè inferetur, me dicere, etiam gratiam conferri, si dolore naturali confessio fuerit informata.

24. Contra eandem conclusionem obijcitur ulterius. Jus Civile non tantum nullibi hanc Juramento vim adstruit, sed potius oppositum exprimit. Prob. ex lege non dubium § 1. Cod. de LL. hic Imperator, postquam dixit, nullum pactum, conventionem, aut contractum valere, qui sit contra legem prohibentem. addit: *Certum est, neque stipulationem hujusmodi tenere, nec mandatum ullius esse momenti, nec Sacramentum admitti*: hoc est Juramentum. *¶* 1. hoc argumento nimium probari, nullum scilicet omnino contractum fore validum, qui contra legem prohibentem fuerat celebratus: sequeretur enim non fore validum Matrimonium ab habente votum simplex castitatis contractum: nec illum, quo res jam uni vendita, necdum tamen extradita, postmodum alteri venditur, atque extraditur: item si

aliquis non præmissis denuntiacionibus coram Parocho proprio, ac testibus contraheret Matrimonium, foret hoc invalidum: quæ omnia etiam ab Adversarijs negantur. *¶* 2. Posset Legem citatam non dubium ab Authentica Sacramenta *puberum* revocatam fuisse: Legem etenim non dubium tulit Theodosius: Authenticam verò Sacramenta *puberum* Fridericus II. Imperator, quem Theodosius multis sæculis præcesserat. Respondent alij tertio in Lege non dubium agi de contractibus à jure reprobatis, eò quòd vel turpitudinem accipientis contineant; vel sint contra bonum commune: hi autem contractus etiam juxta nostræ sententiæ patronos Juramento non confirmantur.

Obijciunt ulterius 3. in lege 112. *¶* §. 4. ff. de legatis. 1. Pronuntiat. *Jurandum contra vim legum, & auctoritatem Juris in Testamento scriptum, nullus esse momenti.* Ergo Juramentum non confirmat contractus Jure positivo aliàs nullos. *¶* concessi textu dist. conf. ergo Juramentum non confirmat quemcunque contractum Jure positivo annullatum: conc. non confirmat contractum talem, si vitium ex dispositione Juris per Juramentum tollatur; negatur. ut Juramentum actus, quos Jus positivum annullat, confirmet, necessarium est, ut vitium illud purgetur per adjectum Juramentum, quia igitur id fit in re-

nuntiatione hereditatis, non autem in Testamento; ideo ab hoc non bona fit argumentatio ad renuntiationem; verum quod hæc gratis non dicantur, ex ipsis duobus textibus colligimus, quorum unus dicit *firmari* renuntiationem: alter autem de Testamento id ipsum negat. Hoc ipsum autem ut faceret Legislator, à diversis rationibus, quæ pro utroque pugnant, permotus absque dubio fuerit. Ex quibus forsitan hæc non erat postrema: quod in renuntiatione Juramento firmata agatur de solius renuntiantis præjudicio: in legato autem de præjudicio tertij.

16 Obijcitur ulterius 4. *Lex 56. princ. ff. de fidejussoribus & mandatoribus: ibi: si quis pro eo, qui libertus non esset, & operas præstiturum se jurasset, fidejussor erit, non tenebitur:* ergo &c. *Re. conc. ant. neg. conf.* Ratio est, quod in casu hujus *legis 56.* fidejussor erraverit quoad substantiam dum pro libertis, non autem pro illo, qui libertus non esset, fidejussor, sic nemo diceret me addito Juramento obligatum ex contractu esse, quo fidejussi pro Petro ut meo consanguineo, si hic postea deprehenderetur, non esse meus consanguineus. Dein, talis, quia in substantia erraverat, neque ex vi Religionis à Juramento introducenda, obligatur: ergo non est paritas inter legem hanc, & Canonem: *quamvis pactum.*

17 Obijcitur 5. *Lex 7. §. 16. ff.*

de pactis, ubi clarissimè dicitur, & generaliter statuitur; *quoties pactum à Jure communi remotum est, servari hoc non oportere.* atqui renuntiatione hereditatis paternæ futuræ est remota à Jure communi: ergo non oportet illam servari. *Re. 1.* cum hic textus generaliter, & universaliter loquatur de pactis à Jure communi remotis alia autem sint à jure communi remota, quia sunt irritata, alia, quia sunt tantummodo prohibita, hinc sequeretur, quod etiam pacta solum prohibita non sint servanda, quod videtur esse nimium. *Re. 2.* neg. min. eo ipso enim, quod turpitudine, ac vitium annullans renuntiationem ex dispositione Juris per Jusjurandum tollatur, & purgetur, eo ipso, inquam, cessat renuntiatione esse remota à Jure communi, hoc est, non amplius est annullata. Non secus ac contractus sine debita solemnitate celebratus dicitur à Jure remotus, & annullatus, non autem, si solennitas requisita accesserit.

Obijcitur 6. Si ex modo allatis textibus nullitas renuntiationis etiam jurata nequaquam eruatur, ratio foret, quia illi postmodum correcti fuerant per *Authenticam: Sacramenta puberum Cod. si adversus venditionem:* hæc ratio nulla est: prob. min. asseritur hoc sine ullo fundamento: ergo &c. *2.* Imperator non potest specialem vim tribuere Juramento tanquam actui spirituali, circa quem ipsi

ipfi nulla est Jurisdicōtio & potestas. 3. Ibidem est sermo de actibus validis: prob. ex Rubrica, sub qua ponitur illa Authentica; quæ est de Restitutione adversus venditionem, impetranda per auctoritatem Judicis, adeoque de contractibus rescindendis: rescindi autem non possunt, nisi validi sint, & restitutio non habet locum in contractibus invalidis: partim quia in textu ponitur, non retractandis: sed contractus, qui validi non sunt, retractari nequeunt.

Respondeo. nego Majorem: solutio enim, quam allatis contra nos textibus subjunximus clarè demonstrat, sententiam nostram in prædicta Authentica Sacramenta puerum nequaquam fundatam esse: hinc superfluum duximus fore, si longam disputationem institueremus, an prædicta Authentica de validis aut invalidis contractibus loquatur.

39 Ad 2. Itaque probationem reponimus, Imperatorem in cap. quamvis de pactis: non tribuere aliquam vim ipsi Juramento, sed ipsi renuntiationi, quam vult esse validam, si eidem accesserit Juramentum: prout valorem nonnullis, aliis annullatis contractibus attribuit, si certa solennitas, v.g. si in scriptis concipiantur, eisdem accesserit. Tertio loco allata probatio non premit, quia nostram opinionem in prædicta Authentica nequaquam fundatam volumus.

Obijcitur 7. Jus Canonicum nec potuit Juramento dare vim firmandi contractus à Jure Civili irritatos: nec voluit: non potuit, quia Pontifex nihil potestatis habet in ea, quæ statuit Jus Civile in materia profana, & pro Laicis, ut habet communis sententia, nec voluit, quia non est credibile, quòd Pontifex voluerit præsidium à Jure Civili filijs in puncto renuntiationis paternæ concessum, per Jus suum Canonicum denuo auferre non sine gravi illorum præjudicio. n. neg. utrumque membrum antecedentis: in probatione primi membri negati iterum negatur antec. Ratio est, quia Pontifex etiam de materia sibi non subiecta potest disponere, posito quòd ista salutis animarum, & communi Ecclesiæ bono expediat: ut patet ex eo, quod contra dispositionem Juris Civilis ad præscriptionem requisiverit bonam fidem, atque expedit, si talia Juramenta Confirmant renuntiationem aliàs Jure Civili in commodum filij renuntiantis annullatam. prob. min. aliàs aperiretur via perjurijs: ergo hoc salutis animarum, & communi Ecclesiæ bono expediat. Quòd autem etiam voluerit, ex hoc ipso duplici fundamento, propter quod potuit confirmare tales renuntiationes, erimus, cum Religio & commune bonum Ecclesiæ præferenda sint bono privato.

Ur-

- 21 Urgent Pontifex in cit. cap. *quamvis pactum* adjecto tali Juramento solam vim & obligationem Religionis, non autem justitiæ attribuit: ergo &c. prob. ant. ratio, ob quam ejusmodi Juramenta servari velit, solam obligationem Religionis inducit: ergo &c. prob. ant. ratio adducta est hæc sola: *quod impletio hujus Juramenti non redundet in alterius præjudicium, nec vergat in dispendium salutis æternæ*: sed hæc inluit solam obligationem Religionis: ergo, *xy. neg. ant. in prob. dist. ant. ratio allata inducit solam obligationem Religionis*, ita, ut Pontifex tamen utatur verbo significante obligationem justitiæ: conc. ant. ut tali verbo non utatur: neg. ant. & conf. Pontifex asserit *firmari contractum*: seu pactum, & hoc observandum esse, seu obligationem oriri ex pacto: atqui obligatio solius Religionis non oriretur ex pacto, sed ex Juramento: & hoc, non autem pactum, quod ponitur fuisse nullum, foret servandum.
- 22 Positivam autem hanc obligationem justitiæ, quod intenderit per Juramentum introducere ipse Pontifex ulterius hac ratione probari poterit, juxta adversarios tale Juramentum inducit obligationem Religionis: ergo antecedenter ad ipsum Juramentum, sub hujus tamen conditione, & per respectum ad istud, validas & firmas effecit, seu confirma-

vit ejusmodi renuntiationes, prob. conf. si hoc Pontifex non fecisset, ex tali Juramento neque obligatio Religionis oriretur: ergo. prob. ant. esset Juramentum de actibus vanis, nullis, atque à lege prohibitis: ergo nullam induceret obligationem Religionis. prob. conf. ut Juramentum inducat obligationem Religionis, debet esse de materia alicujus virtutis, non autem de re tantum vana; atqui non esset de tali materia, si renuntiatio non fuisset à Pontifice confirmata: ergo. prob. Maj. Juramentum est adductio ipsius Dei in testem alicujus rei: item obligat ex reverentia erga Deum: atqui Deus non est adducendus in testem rei vanæ &c. nec aliquis ex reverentia erga Deum potest obligari ad rem vanam, inutilem: ergo. prob. min. non esset de materia justitiæ; cum renuntiatio juxta adversarios esset nulla, & irrita: non esset de materia fidelitatis, prob. renuntiatio est nulla, ergo non potest inducere fidelitatem, cum hæc sit pars potestativa justitiæ, & obliget, ut aliquis verum faciat, quod dicit: non esset de materia Religionis: prob. Juramentum non facit, ut materia, de qua præstatur, evadat materia Religionis: ergo cum independentem à Juramento renuntiatio non est materia Religionis, neque erit Juramentum de materia Religionis, non esset de materia charitatis propriæ, quia ex

Gggg

hac

hac renuntiatione nulla utilitas sed potius detrimentum redundat in renuntiantem : ergo patet, quod neque Religionis obligationem tale Juramentum induceret : ergo si ex mente adversariorum ex Religione obligat, Pontifex, antecedenter ad Juramentum sub hujus tamen conditione, & habito ad istud respectu constituit, renuntiationem in materia iustitia reddens eandem validam.

23. Dices : Juramentum de non solvendis usuris obligat ex virtute Religionis, & tamen non est de materia alicujus virtutis : ergo nulla est nostra modò adducta ratio. R. illud Juramentum esse de materia spectante ad charitatem propriam, quæ exigit, ut usurario promissum solvatur ad redimendam vexam propriam.

24. Dices 2. Cum Lessio, Rebello, & Suarezio Juramentum hoc non cadere immediatè supra renuntiationem hereditatis futuræ, sed supra promissionem non contraveniendi huic renuntiationi : atqui hæc promissio non contraveniendi non est res inanis, ac nulla, vel legibus prohibita : ergo &c.

Respondéo : nego minorem : ratio est : si renuntiatio hæc à legibus fuit annullata, tunc etiam annullata ab ijs fuit promissio non contraveniendi huic annullatæ renuntiationi, prob. in lege non dubium : Cod. de LL. ita legimus :

sed etsi quid fuerit subsecutum ex eo, vel ob id quod interdente lege factum est, illud quoque cassum, atque inutile esse precipimus sed promissio non contraveniendi renuntiationi annullatæ est subsequens ex renuntiatione à legibus interdicta : ergo & ista promissio est annullata.

Conf. leges annullantes renuntiationem forent inefficaces ac frustraneæ, si se non extenderent quoque ad annullandam promissionem non contraveniendi renuntiationi factæ : sed non sunt inefficaces ac frustraneæ : ergo etiam hæc annullant. Prob. Maj. si promissio non contraveniendi non fuisset per ipsam legem pariter annullata facillimè lex annullans renuntiationem eluderetur : quia hujus nullitas statim possit elidi, cogendo renuntiantem, ut promittat, se nolle contravenire : ergo &c.

Conf. 2. Juramentum cadens supra promissionem non revocandi renuntiationem à juribus annullatam etiam caderet supra rem inanem, nullam, & juribus annullatam ; supra ipsam scilicet promissionem, quæ nullius virtutis actus foret : ergo si ob hanc rationem nullum est Juramentum cadens supra ipsam renuntiationem, etiam nullum erit, quod cadit supra promissionem non contraveniendi huic inani, atque annullatæ renuntiationi. Prob. Maj. fidelitas & iustitia obligant.

ad servandum promissum in rebus honestis, atque utilibus. Sed facta talis promissio non obligaret ad ista: ergo non spectaret ad materiam fidelitatis, aut iustitiæ.

27 Conf. qui promittit non contravenire renuntiationi vanæ atque inutili, rem vanam atque inutilem approbat, & confirmat, sed approbatio, & confirmatio contractus nullius & vani est etiam nulla: ergo talis promissio est nulla: prob. min. promissio efficiendi contractum nullum est nulla: ergo etiam promissio, quæ approbat & confirmat nullum, atque inutilem, est nulla, prob. conf. promissio approbans, & confirmans contractum nullum est promissio, perseverandi in contractu nullo, sed talis promissio est etiam nulla, prob. min. promissio efficiendi contractum nullum est nulla, quia est promissio rei vanæ: ergo etiam promissio perseverandi in contractu vano erit nulla cum etiam sit promissio rei vanæ.

28 Obijcitur 2. In cap. 6. de iurjurando declarat, & vult Pontifex, ut Juramentum de solvendis usuris præstitum obliget vi Religionis, non autem ex virtute Iustitiæ: & tamen nullam aliam rationem hujus suæ voluntatis affert, nisi, quia executio Juramenti non redundat in præjudicium tertij, nec vergit in dispen-

dium salutis æternæ: ergo sicut de usuris loquens solam obligationem Religionis inducit, ita etiam hanc solam inducet in renuntiatione futuræ hereditatis Paternæ. 1. 1. in citato cap. 6. de iurjurando tantum dicit, quod si debitores de ipsarum (intellige usurarum) solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere Juramentum, non autem addit, ideo hoc esse faciendum, quia Executio Juramenti non vergit in dispendium salutis æternæ. 1. 2. etsi eandem hanc rationem addidisset, vel etiam ex hac fuisset per motus ad hoc in cit. cap. 6. statuendum, clara tamen apparet diversitas inter unum & alterum capitulum, in hoc enim capitulo sexto asserit, Juramentum esse reddendum: in capitulo quamvis pactum: de pactis in 6. non dicit Juramentum sed pactum omnino servari debere. Item in hoc capitulo quamvis pactum dicit, pactum Juramento firmatum esse: siquidem quid non invenitur in cap. 6. de iurjurando ergo eadem ratio ad plura statuenda Pontificem permovet in materia renuntiationis, quam in materia contractus usurarij & fortè ob hanc causam; quia usurarius iniquè, ac injustè, invitum mutuatarium cogit ad Jusjurandum: ergo in odium illius promissio usuræ etiam Juramento non debebat confirmari, contrarium accidit in renuntiatione, ubi ponitur Jusjurandum fuisse liberum

rum, nullo metu aut dolo extortum, hinc expresse Pontifex addit: *si juramento non vi nec dolo prestito firmatum fuerit*, ergo major habebatur à Pontifice ratio, ob quam potius moveretur ad statuendum, ut Juramento liberè prestito confirmaretur renuntiatio hereditatis paternæ, quàm contractus usurarius.

Maneat ergo, quòd talis futuræ hereditatis renuntiatio in gratiam parentis à filia facta, insuper liberè ac voluntariè Juramento munita, isto confirmetur, & ex obligatione justitiæ renuntiationem revocare ipsa filia sine relaxatione Juramenti nequeat, nisi ipse Pater ultro hanc obligationem eidem remiserit.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An & qualiter ab hac obligatione liberari renuntians filia possit?

- 29 **A**t tendendum, quot annorum filia fuerit, quando paternæ hereditati futuræ renuntiaverat. Sciendum secundò aliter procedendum in sententia defendentium, Juramentò nullam obligationem justitiæ in hoc casu induci, & aliter si supponamus ejusmodi renuntiationes adjectò Juramentò confirmari. 3. Advertimus modos, quibus liberari à Juramento possumus, esse irritationem, relaxationem, aut condonationem Juramenti.
- 30 Irritatio itaque Juramenti est actus potestatis dominativæ, quo superior omnino aufert rationem ac obligationem Juramenti subdito. Quòd si supponatur, Juramentum renuntiationi adjectum, hoc pactum nequaquam confirmare, à parentibus ejusmodi suorum liberorum Juramenta, quæ ut impuberes prædicto contractui adjecerunt, irritari posse, affirmat Palao de *Juram. disp. 3. pu. 2. n. 1. versu 6.* cum communi: ratio est juxta Lessium *lib. 2. cap. 12. dub. 12. n. 61.* quòd parentes talium impuberum vota irritare possunt, jura verò nihil in contrarium de Juramentis decreverint: ex altera parte impuberes sui Juris nequaquam censeantur esse, sed parentum aut tutorum regimini subjecti, imò cum sententia negans tales renuntiationes Juramento confirmari, sit multùm probabilis, absolutè nullà determinatà sententià existis supposità, irritari à Patre poterit. Lessius etiam *l. 2. de Just. c. 17. n. 51. cum la Croix. lib. 3. par. 1. de Juramento num. 358.* affirmat, etiam in utilitatem hominis præcipuè facta irritari à parentibus posse. Rationem afferunt.

sunt, quod vota impuberum consensum Patris involvant propter immaturitatem ætatis, & iudicij in impubere. Quod si aliquis tueatur ex tali jurata renuntiatione nec Religionis, nec Iustitiæ obligationem productam fuisse, nulla omnino irritatione opus erit.

31 Si autem Juramentum renuntiationi huic à filia, vel filio iam pubere, adhuc tamen minorenni adjectum, ponatur istud pactum confirmare, à parentibus illud nequaquam irritari poterit, aut à tutoribus. Ita Lessius lib. 2. cap. 42. de Jusit. dub. 12. Palao de Juram. disp. 3. pu. 2. n. 1. verbo sexto, non enim poterit irritari, eo quod voluntas jurantis adhuc parentibus subiecta fuerit, cum jurans ponatur jam fuisse pubes. Non ratione materiæ: licet enim de bonis paternis dispositio aliqua fuerit facta, quia tamen hæc renuntiatio in illud dilata tempus fuit, in quo non amplius defuncto Patri subiecta erunt, non poterit Parens hanc juratam renuntiationem irritare ex eo titulo, quod sibi, & suo Juri præjudicare possit; quamdiu enim Parens vixerit, de suis rebus disponendi plenissimum adhuc Jus, ac facultatem retinet.

32 Quia autem Parens, in cujus gratiam hæc renuntiatio instituta fuerat, obligationis hujus Creditor evasit, hinc remissione seu condonatione illius prædicta obligatio filij, aut filiaë auferri poterit. Ita communis: prob. cum cuilibet da-

tum sit debita sibi remittere ideo quilibet Creditor, in cujus gratiam atque commodum jurata promissio fuit facta, potest suo debitori remittere debitum: ergo si Parens est Creditor, poterit debitori filio hanc obligationem remittere, atqui si Parens Creditor hanc obligationem remittat, est etiam sublata obligatio Juramenti: ergo Parens ut Creditor potest hanc obligationem filio, aut filiaë remittere. Prob. ant. subsumpti, obligatio hæc est fundamentum Juramenti: nam in tantum Deus jurantem vult obligatum, in quantum eundem optat obligatum ille, in cujus gratiam Juramentum conceptum fuit: ergo si Creditor remittit obligationem, etiam Deus censetur remittere ex Juramento resultantem.

Dices, Creditorem posse remittere sibi debita, si remissio non necessario debeat esse actus Jurisdictionis spiritualis, conceditur: si sit necessario talis, negatur, quod autem debeat esse actus spiritualis Jurisdictionis, rationem dabis, quia hæc remissio est relaxatio Juramenti, & hæc est quid spirituale: ergo &c. Sed contra: talis remissio non est proprie dicta relaxatio Juramenti, nec alius quidam actus Jurisdictionis spiritualis juxta Sanchezium lib. 3. cap. 19. n. 1. & cap. 20. n. 4. Bonacinam disp. 4. q. 1. de Juram. pu. 17. n. 1. Palao de Juram. disp. 3. pu. 2. n. 2. Prob. ant. remissio hujus debiti est actus dominij in materiam promissam, & hinc.

Gggg 3

hinc

hinc potius ad irritationem reducitur. Ex eo enim, quod renuntiatio in gratiam Parentis fuerit facta, illa quasi subiecta fuit dominio Parentis: ergo &c. Ex hoc ipso videtur colligi, si in bonum, atque favorem ceterorum fratrum cum consensu tamen Parentis fuisset hæc renuntiatio facta, remissionem istam ab eiusmodi fratribus obtinendam esse.

34. A remissione ad relaxationem, quæ est tertius modus tollendi obligationem Juramenti, progredimur. Definitur ista, quod sit operis præstandi in utilitatem hominis, vel communitatis ab his ipsis facta remissio. ex hoc colliges, in quo differat relaxatio à dispensatione, quæ est actus Jurisdictionis, quo obligatio operis principaliter in honorem Dei præstandi, sine præjudicio alterius dominij contracta, penitus extinguitur.

35. De hac Juramenti in utilitatem hominis concepti relaxatione communiter asseritur, quod per se loquendo relaxari ab illo solo possit, cui factum & à quo acceptatum est: ita cum communi tenent Busenbaum, Tab. Arm. Sayr. Lopez, Vivaldus, Suarez, Lessius, Sanchez, Escobar, Mendo, Lugo de Just. disp. 23. n. 34. Prob. per talem juratam promissionem à se acceptatam promissarius obtinuit jus quoddam ad rem taliter sibi promissam: ergo cum nemo absque justa causa semel acquisito Jure sit spoliandus, etiam hic non po-

terit: sed relaxatio Juramenti spoliaret, cum sit ablatio obligationis: ergo &c.

Cum verò bonum privatum debeat communi cedere, ac postponi, ideo si communitatis bonum exposculet, ut promissarius spoliatur hoc suo per tale Juramentum acquisito Jure, ab habente curam, & procurante bonum commune, si hic in foro quoque interno Jurisdictionem habeat, tale Juramentum relaxari, & promissarius spoliari suo Jure poterit. Cum igitur eiusmodi potestas maxime ad Pontificem tanquam supremum Dominum spectet, vel maxime etiam hic talia Juramenta relaxare poterit: & præter istum in certis quoque casibus ipsi Episcopi.

Præterea, cum crimina tam poenâ pecuniariâ, quam privatione cujusdam antea possessi juris puniri ac plecti possint, hinc loco poenæ adeptio juris, crimine acquisiti, infligi poterit: tale crimen commissum fuit, si metu injusto aut injuria illata alter ad juratam promissionem iniquè compulsus fuerit: vel si de licentia rei juratæ incertitudo, & dubium habeantur: in quibus circumstantijs, & Papæ & Episcopis potestas relaxandi concessa creditur, cum ad officium Episcopi spectare judicetur, declarare, quid licitum, & quid illicitum sit. Ex his suppositis

Dico 1. Si ponatur, hoc Juramento renuntiationem futura hereditatis, à positivis legibus repro-

probatam, nequaquam confirmatam fuisse; ab Episcopo jurantis, vel Prælato, si adsit iusta causa, potestate ordinaria relaxari poterit. Ita communis. prob. Episcopus potest ex iusta causa remittere obligationem Religionis, quæ in nullo jure alterius fundatur: sed obligatio prædicti Juramenti est tantum Religionis in nullo iustitiæ jure: ex parte promissarij fundata: ergo &c. Prob. Maj. Episcopus agit Personam Dei, qui facillè remittit obligationem urgente causa: ergo &c. Conf. ex c. 1. §. c. debitores de Jurejurando.

39 Utrum autem hoc in alterius utilitatem quidem editum, per se tamen stans Juramentum relaxare ex potestate delegata possint, qui delegatam facultatem dispensandi in votis possident, examinare hic nolumus. Palao item Layman, lib. 4. tract. 3. c. 11. n. 8. probabiliorè judicant esse sententiam negativam, eò quòd tale Juramentum, licet per se ster, voto tamen nequiquam æquiparari, & hinc neque arbitrio Jurantis in meliorem materiam mutari possit: affirmativam ex opposito amplectuntur Tamburino lib. 3. in decalog: c. 7. §. 3. n. 8. Ledesma: Rodriquez, Eman. Saa ab eodem Tamburino pro hac sententia etiam adducuntur Pontius lib. 8. de Matrim. cap. 11. Suarez tract. de voto lib. 6. cap. 14.

40 Dico 2. Si ponatur, hoc Juramento promissionem aliàs le-

gibus Civilibus annullatam, confirmatam convaluissè, quid in hoc casu faciendum ex dictis in hoc §. colligendum.

Scilicet absque iusta causa prædictum Juramentum in gratiam Parentis factum à Pontifice nec relaxari, nec commutari posse, ratio prioris est; quia nemo suo Jure absque gravi causa est spoliandus; ratio ultimè verò, quia unum pro alio, invito Creditore, solvi nequit, ut habetur lege mutuum ff. si certum petatur, Abbas cap. pervenit de Jurejurando Sylvester verbo Juramentum 4. q. 20. Sanchez lib. 3. summa cap. 21. n. 3.

Dico 3. Si filia ex hac renuntiatione passa fuerit enormissimam LæSIONEM tunc probabilissimè Beneficio legis 2. Cod. de rescindenda venditione: petere rescissionem hujus contractus poterit, etiamsi renuntians jam majorenis fuerit, ita sentiunt Antonius Gomez tom. 2. variar. cap. 14. n. 20. Gutierrez Authent. Sacram. puerum n. 87. Fachinæus lib. 8. controversiarum cap. 69. prob. Juramentum tali deceptorio contractui adjectum nequaquam hinc confirmat: ergo &c. prob. ant. Juramentum simpliciter appositum non purgat duo vitia, sed unum tantum; sed hinc duo vitia purgaret, nullitatem scilicet ex prohibitione legis Civilis provenientem, & ipsam læsionem enormissimam, ergo &c. ant. prob.

authoritate Seraphini *de privilegijs Juramentorum: privileg. 83, n. 44.*
Menochij *consil. 29. n. 40. volum.*

1. cùm autem in hunc finem necessarium sit scire, quænam Læ-
sio enormissima sit vocanda, innui-
mus ad mentem Molinæ *de His-
panorum primigenijs lib. 2. cap. 3.*
n. 18. decidendum hoc esse ex
arbitrio prudentis, juxta alios Do-
ctores Læsiō enormissima habenda,
quæ in duplo vel quadruplo
excedit.

42 Dices 1. In similibus casibus fa-
cta est transactio: sed transactio
ex dispositione Jurium non rescin-
ditur ob quamcunque Læsiōnem:
ergo neque ista renunciatio. R.
neg, Maj. ratio est, quòd transa-
ctio semper supponat litem, vel
timorem litis: atqui in tali casu
nil tale adfuit: ergo non fuit trans-
actio, sed mera conventio ce-
lebrata, ob suam injustitiam re-
scindenda.

Dices 2. Juxta *legem 1. ff. de
transactionibus & legem Modestinus:
ff. de donationibus*: omnis renun-
tiatio est donatio: atqui donatio
ex liberalitate orta nequaquam re-
scinditur ob læsiōnem: ergo &c.

R. neg. min. cùm enim renun-
tiatio ponatur fuisse facta ob dotem,
hinc non est mera donatio,

Dices 3. Talis filius, aut filia
non renuntiat Juri quæsitio, sed
primùm quærendo: ergo in illa
non habenda est ratio cujusdam
læsiōnis. Prob. conf. Jus quæ-
rendum est semper incertum: er-
go &c. R. conc. ant. neg. conf.
in prob. dist. ant. Jus quærendum
est semper incertum; ita tamen,
ut hæc spes incerta etiam de præ-
senti æstimetur, conc. ant. ut hoc
non fiat, nego ant. & dist. conf.
ergo non est illius habenda ratio,
si in illius spei de præsentis æstima-
tione nulla læsiō enormis conti-
gerit: conc. si talis intervenerit:
nego.

Dices 4. Pater dum filia, aut
filio dotem concedit, meritò de-
bet præsumi consulere bono suæ
filia magis quolibet alio: ergo
non potest allegari læsiō: R. dist.
ant. debet hoc præsumi, quam-
diu non certo constet contrarium:
conc. si hoc certò constet, prout
contigit, quando adest læsiō
enormissima, nego.